

pulis impactæ omnino perierunt, reliqua classis, magnitudi-
 ne tempestatis superata, in altum abiere. Continuo in sup-
 plementum ex urbe onerariæ naves ac triremes missæ: quibus
 venientibus hostis in alto nova arte est infidiatus. Suis navi-
 bus, quæ Venetorum fuerant, affigit insignia: ac reliquo ap-
 paratu, quam diligentissime potest, Venetas triremes assimu-
 lat. Venientibus igitur procul plausu & gratulatione invitat,
 ad se cursum, tanquam ad amicam classem, deflectere. Mox-
 que in duas proxime admotas impetu facto, compotes illi in
 suam redigunt potestatem, redactas ingenti oppidanorum læ-
 ticia in portum pertraxere. Quis vero tum classi præesset, ni-
 hil omnino reperio: constat tamen, illius focordia, reique
 bellicæ inscitia duplicem cladem paucis diebus acceptam: at-
 que ob rem male gestam domum cum navibus revocatum, at-
 que in vincula coniectum. Nova deinde classis ac longe in-
 structior parata. Stabat omnino sententia, pertinacissimum
 hostem obsidione domare. Paucis itaque diebus interjectis
 cæpit denuo Ancon obsideri: tum cives rati, quod erat, ho-
 stium constantia rem suam in discrimen non multo post addu-
 ctum iri, ad Nicolaum tertium, Romanum Pontificem, le-
 gatos mittunt: qui eum noviter creatum adversus Venetos
 præpararent, docerentque in primis, quæ ad eam diem ab il-
 lis in se hostiliter essent gesta, quæque in dies hostiliter gere-
 rentur: monstrarent ad hæc, omnia mala, quæ ii qui gravi
 diuturnaue urgentur obsidione, pati soleant, se ad id tempus
 esse a Venetis perpeffos, ac longe maiora passuros, nisi exter-
 na aliqua ope sublevarentur: orarent proinde illius clemen-
 tiam, ut vetustissimæ urbis Romanæque Ecclesiæ studiosissi-
 mæ fortunam miseratus, præsentis periculo servaret. Veneti
 legati & ipsi officii gratia sub id fere tempus Romam vene-
 rant. Qui quum diu ibi fuissent, nec, ut cæteri, ad publicam
 congratulationem admissi essent, rati quod erat, Pontificem
 a Veneto nomine Picenorum causa alienatum, id domum si-
 gnificant. Quod Dux Patresque ægre ferentes, per literas le-
 gatos ex urbe revocant. Eos profectos jussit Pontifex ad se re-
 trahi: atque ubi severissima oratione Venetorum factum incu-
 savit, qui Anconitanos, Romanæ Ecclesiæ vectigales, tam

*Anconitani
 denuo a Ve-
 netis obsessi
 ad Pontifi-
 cem confu-
 giunt.*

obsti-